Annus XV - Vol. XV 6 Novembris 1923 Num. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Constitutiones Apostolicae, p. 533; Epistolae, p. 536.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis:* I. Provisio Ecclesiarum, p. 543. II. Designatio, p. 543. - *S. C. Concilii:* Utinen. Collationis, p. 544. - *S. C. de Religiosis:* I. Declaratio circa dispensationes super studiis, p. 549. II. Unterweisung oder Verzeichniss der Fragen, p. 550. - *S. C. de Propaganda Fide:* I. Designationes, p. 559. II. Nominationes, p. 560. - *S. C. Rituum:* Dubia, p. 560. - *S. C. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis:* Iurisdictionis, p. 561.

Acta Tribunalium: *S. Poenitentiaria Apostolica:* Indulgentiae concessio, p. 562. - *S. R. Rota:* Westmonasterien. Nullitatis matrimonii seu clandestinitatis, p. 562.

Diarium Romanae Curiae: Udienza diplomatica. - S. C. del Sacramenti: Avviso di concorso. - S. C. dei Riti: Congregazioni Antipreparatorie. - S. R. Rota: Inaugurazione dell'anno giuridico. - Segreteria di Stato: Nomine, onorificenze. - Maggiordomato: Nomine. - Necrologio, pp. 566-572.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXIII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.

Administratio: Tipografia Poliglotta Vaticana. — Roma.

Pretium annuae subnotationis.

Pro Italia, Lib. 18. — Extra Italiam, *Pro.* 24.

Unius fasciculi, Lib. 3 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1909 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XV, n. 11 - 6 Novembris 1923)

ACTA PII PP. XI

Constitutiones Apostolicae

PAG.

I. *Inter praecipuas.* - Erectionis novae provinciae ecclesiasticae. - *11 iunii 1923* . 533

II. *Inter plurimas.* - Concessionis personalis pallii. - *27 iulii 1923* 535

Epistolae

I. *Gratum quidem.* - Ad R. P. Alexium Mariam Lépicier, ex Ordine Servorum Mariae, cuius « Diatessaron », seu concordiam quatuor Evangeliorum laudibus prosequitur. - *7 iulii 1923* 356

II. *Quod Litteris.* - Ad R. P. D. Casparem Mariam Michaëlem Latty, archiepiscopum Avenionensem: de triduanis supplicationibus in eadem civitate in honorem S. Thomae Aquinatis solemniter peragendis. - *29 septembris 1923* 537

III. *Non sine animi.* - Ad R. P. D. Ignatium Ephraem II Rahmani, patriarcham Antiochenem Syrorum: XXV patriarchalis dignitatis natalem celebrantem. - *30 septembris 1923* 538

IV. *Seminarium maius.* - Ad R. P. D. Henricum Moeller, archiepiscopum Cincinnatensem, seminarium maius inter solemnia saecularia natalis archidioecesis propediem dedicaturum. - *1 octobris 1923* 539

V. *Ilespicientibus.* - Ad R. P. D. Augustinum Fischer-Colbrie, episcopum Cassoviensem: communibus in eum laetitiae significationibus se peramanter consociat. - *2 octobris 1923* 540

VI. *Prope adsunt dies.* - Ad Emum P. D. Basilium episcopum Veliternum S. R. E. card. Pompilj, vicaria potestate Urbis antistitem: appetente fidelium defunctorum commemoratione. - *21 octobris 1923* . . 541

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. Provisiones Ecclesiarum 543

II. Designatio 543

S. CONGREGATIO CONCILII

Ulmen. - Collationis mansionariatuum. - *10 februarii 1923* 544

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

PAG.

I. Declaratio circa dispensationes super curriculo studiorum. - *27 octobris 1923* . . 549

II. Unterweisung oder Verzeichniss der Fragen, die von den Generaloberen und Generaloberinnen der kloesterlichen Genossenschaften mit einfachen Gelübden alle fünf Jahre in ihrem Berichte an den Heiligen Stuhl zu beantworten sind. - *25 März 1922* 550

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. Designationes Ordinariorum pro appellatione 559

II. Nominationes 560

S. CONGREGATIO RITUUM

Dubia 560

SACRA CONGREGATIO PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

Iurisdictionis 561

ACTA TRIBUNALIUM

S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

Concessio indulgentiae. - *15 iunii 1923* . . 562

SACRA ROMANA ROTA

Westmonasterien. - Nullitatis matrimonii (ex cap. clandestinitatis). - *13 dec. 1923* . 562

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza diplomatica 566

II. S. Congregazione dei Sacramenti: *Avviso di concorso* 566

III. S. Congregazione dei Riti: *Congregazioni Antipreparatorie* 566

IV. S. Romana Rota: *Prolusione nell'inaugurazione dell'anno giuridico.* . . . 567

V. Segreteria di Stato: *Nomine, onorificenze* 569

VI. Maggiordomato di Sua Santità: *Nomine* 571

VII. Necrologio 572

VIII. Avviso 572

Annus XV - Vol. XV 6 Novembris 1923 Num. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

CARACENSIS

ERECTIONIS NOVAE PROVINCIAE ECCLESIASTICAE

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inter praecipuas Sanctae Sedis curas haec quoque constans fuit ut, quo felicius spirituali animarum bono et rectae dioecesium administrationi consuleretur, circumscriptiones ecclesiasticae opportune mutarentur, prout nova temporum locorumque adiuncta expostulare et suadere videbantur.

Cum ideo, iustis de causis, constiterit valde rei catholicae profectui conferre novam provinciam ex tribus dioecesibus Emeritensi, Zuliensi et Sancti Christophori constantem erigere, et Emeritensem ex eis Metropolitanam constituere cum aliis duabus suffraganeis, Nos, accedente voto venerabilium fratrum Nostrorum hodierni Archiepiscopi Sancti Iacobi de Venezuela seu Caracensis et Apostolici Nuntii in Republica de Venezuela, ad praefatam erectionem libenter adveniendum esse censuimus et decrevimus.

Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum interest, vel sua in hac re interesse praesumant, consensu, praedictas dioeceses Zuliensem et Sancti Christophori de Venezuela, cum omnibus et singulis in iis exsistentibus et commorantibus, per has praesentes Litteras de Apostolicae potestatis

plenitudine a territorio archidioecesis Sancti Iacobi de Venezuela, seu Caracensis, separamus et evellimus et praedictae Ecclesiae Emeritensi in Indiis attribuimus et adsignamus, dum ipsam Ecclesiam Emeritensem in Indiis ab eodem metropolitico iure, cuius erat, eximimus et subtrahimus atque ad gradum et dignitatem Ecclesiae metropolitanae evehimus, cum omnibus et singulis iuribus, privilegiis et praerogativis, quibus ceterae metropolitanae Ecclesiae gaudent.

Insimul venerabilem fratrem Antonium Raymundum Silva, hodiernum Episcopum Emeritensem ad Archiepiscopi gradum, dignitatem, iura ac privilegia promovimus, cum facultate, sicut ceteri Archiepiscopi, deferendi crucem et Pallium, postquam tamen hoc ab Apostolica Sede in sacro Consistorio postulaverit et impetraverit.

Memoratae insuper Emeritensis Ecclesiae Capitulum illico ad gradum Capituli metropolitani, titulum et honorem Apostolica auctoritate pariter evehimus, cum omnibus iuribus, privilegiis, praeeminentiis ac honoribus quibus cetera metropolitana Capitula in illis regionibus fruuntur.

Huius vero metropolitanae sedis suffraganeae erunt dioeceses Zuliensis et Sancti Christophori, quae hucusque metropolitanae Ecclesiae Sancti Iacobi de Venezuela, seu Caracensis, suffraganeae erant, a qua proinde eas detrahimus: igitur Zuliensis et Sancti Christophori pro tempore Episcopi erunt suffraganei Archiepiscopi Emeritensis, ipsiusque iurisdictioni iuxta canonicas leges subiecti, sicut ipsorum clerus et populus.

Fines vero huius metropolitanae Emeritensis Ecclesiae, iidem erunt, qui hucusque efformarunt et constituerunt ipsam episcopalem dioecesim, necnon et alias dioeceses Zuliensem et Sancti Christophori, reservata tamen Apostolicae Sedi facultate novas circumscriptiones et dismembrationes in hac nova ecclesiastica provincia libere peragendi quandocumque in Domino id magis expedire visum fuerit, quin ullum hac in re Antistitum et Capitulorum consensum exquiri aut ullam territorialem compensationem attribui necesse sit.

Quae autem hisce Litteris, Apostolica auctoritate, a Nobis decreta sunt, nulli hominum, ullo unquam tempore, infringere aut iis repugnare vel quomodolibet contraire liceat. Si quis, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat obnoxium se evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis.

Ad haec autem omnia exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Philippum Cortesi, Archiepiscopum Siracensem et in Republica de Venezuela Nuntium Apostolicum, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, simulque definitive pro-

nuntiandi super quavis difficultate, vel oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, imposito tamen eidem onere infra sex menses, a data praesentium computandos, ad Sacram Congregationem Consistorialem mittendi authenticum exemplar exsecutionis peractae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo tertio, die decima prima mensis iunii, Pontificatus Nostri anno secundo.

✠ C. CARD. DE LAI, Episc. Sabinen.,
S. Congreg. Consistorialis Secretarius.

O. CARD. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

Iulius Campori, *Protonotarius Apostolicus.*
Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXVIII, n. 15.

II

EMERITEN.

CONCESSIONIS PERSONALIS PALLII

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri Antonio Raymundo Silva, Episcopo Emeritensi in Indiis, salutem et apostolicam benedictionem. — Inter plurimas et gravissimas Nostri officii curas, esse putamus benevolentiam ostendere et specialia signa honoris illis tribuere, qui erga Ecclesiam Christi eiusque fideles magis meruerunt.

Cum itaque proximo septembri mense quinquagesimum ab inito sacerdotio annum feliciter sis impleturus, ut in hac solemnitate quoddam Nostrae peculiaris benevolentiae pignus tibi daremus, disposuimus ut Pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, de corpore Beati Petri sumptum, tibi extra Sacrum Consistorium concederetur.

Per praesentes igitur, sacrum Pallium, ut speciale signum honoris tibi assignamus, donec Ecclesiae Emeritensi in Indiis praefueris et ut in sacris functionibus iuxta liturgicas normas illo uti possis et debeas.

Ad illud tibi prima vice imponendum, per easdem praesentes Litteras, deputamus venerabilem fratrem Philippum Cortesi, Archiepiscopum titularem Siracensem et in Republica de Venezuela Nuntium Apostolicum, cum potestate subdelegandi alium virum in ecclesiastica dignitate consti-

tutum, postquam ipse a te fidelitatis debitae solitum receperit iuramentum iuxta formulas his Litteris Nostris adnexas.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo tertio, die vigesimaseptima mensis iulii, Pontificatus Nostri anno secundo.

O. Card. Cagiano, *S. R. E. Cancellarius.*

EPISTOLAE

I

AD R. P. ALEXIUM MARIAM LÉPICIER, EX ORDINE SERVORUM MARIAE, CUIUS «DIATESSARON», SEU CONCORDIAM QUATUOR EVANGELIORUM LAUDIBUS PROSEQUITUR.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Gratum quidem est, quod accepimus, te, cum in sacra theologia verbis scriptisque tradenda, annos bene multos, Angelici Doctoris vestigiis insistens, consumpseris, plurimum operae studiique iam dudum conferre ad divinas Litteras, atque adeo ad ipsa quatuor Evangelia, quibus Domini Nostri Iesu Christi et vitae et doctrinae veluti summa continetur. Itaque non modo quae singuli Evangelistae scripsere, ea sic, optimis auctoribus usus, composuisti, ut unum quasi rerum contextum conficeres, sed etiam ad contextum huiusmodi explicandum tantam annotationum, e Sanctis Patribus et e probatissimo quoque, tum veterum tum recentiorum Scripturae interpretum, haustam, copiam adiunxisti ut quaecumque de vita, institutis praeceptisque Redemptoris nosse maxime conveniat, ea tamquam uno conspectu omnia in tuo libro complecti liceat. Accedit quod annotationes istas explicationesque peropportuno consilio ad usum ordinasti cum privatum legentium aut meditantium, tum publicum etiam sacrorum concionatorum. Quare Nos, quibus nihil tam cordi est, quam Bibliorum vigere studia, in primisque Evangeliorum, unde clerus populusque christianus ad bene sancteque vivendum proficiat, vehementer equidem propositum tuum probamus, eo magis quia primum hoc volumen – quod, ut promittis, cetera brevi consecutura sunt – et soliditate doctrinae et pietatis suavitate videmus commendari, quarum praesertim causa tres proximi decessorum Nostrorum tua scripta dilaudarunt.

Tu vero perge, ut facis, dilecte fili, opes ingenii scientiaeque tuae in communem fructum proferre, divino fretus auxilio: cuius Nos auspicem

eamdemque testem paternae benevolentiae Nostrae, apostolicam benedictionem tibi amantissime impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VII mensis iulii MCMXXIII, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. XI

II

AD R. P. D. CASPAREM MARIAM MICHAËLEM LATTY, ARCHIEPISCOPUM AVENIONENSEM: DE TRIDUANIS SUPPLICATIONIBUS IN EADEM CIVITATE IN HONOREM S. THOMAE AQUINATIS SOLEMNITER PERAGENDIS.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod Litteris Encyclicis Nostris *Studiorum Ducem*, tertio ante mense datis, optare Nos significabamus, ut scilicet sextum saeculum a sanctorum caelitum honoribus Thomae Aquinati decretis per sacra quoque sollemnia commemoraretur in triduum vel in octavum vel in nonum diem agenda, id tu, venerabilis frater, facere istic induxisti animum, non modo ob tuam in Angelicum Doctorem pietatem, sed etiam ac praecipue quia is in ipsa urbe Avenione, honoris tui sede, in Sanctorum numerum relatus est. Indictis igitur a te in triduum supplicationibus confidimus cives istos interesse frequentissimos, et divinum illud christianae sapientiae lumen virtutumque omnium exemplar ita sibi demereri, ut, eo duce ac patrono, catholicae doctrinae adhaerescant acrius et in assequenda vitae sanctimonia proficiant uberius; eosdem enim, quemadmodum saeculari evento laetari in primis decet, sic copiosioribus fructibus aequum est locupletari. Supplicationes autem eiusmodi, quibus novimus Purpuratos aliquot Patres cum satis multis Episcopis lectissimisque viris adfuturos, ut augustiores et fructuosiores exsistant, damus libenter, ut in templo, quo illas haberi decreveris, Missae omnes, per tres eos dies, conventuali et parochiali, si quidem litari debeat, excepta, in honorem Sancti Thomae, ut in eius festo, celebrari queant, cum *Gloria* tamen et *Credo*, et quicumque sacrum peregerint aut sacro adstiterint, plenam admissorum suorum veniam, usitatis condicionibus, semel in die lucrentur. Utinam Angelicus Doctor gregem istum patrocinio suo ab omnium lue errorum perpetuo tueatur et ad meliora provehat, itemque iuventuti, quae apud vos in spem Ecclesiae et civitatis adolescit, impetret ut pure et caste adolescat; sanctam enim puritatem quicumque redolent, ii iam hoc ipso veritatis contemplationem et avidius appetunt et facilius assequuntur. Caelestium interea donorum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, vene-

rabilis frater, et universo clero populoque tuo apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis septembris, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

III

AD R. P. D. IGNATIUM EPHRAEM II RAHMANI, PATRIARCHAM ANTIOCHENSEM SYRORUM: XXV PATRIARCHALIS DIGNITATIS NATALEM CELEBRANTEM.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Non sine animi delectatione comperimus, a te, post completum mense aprili quinquagesimum sacerdotii annum, propediem quintum ac vicesimum Patriarchalis dignitatis natalem actum iri: qua quidem in eventi faustitate nolumus peculiari careas voluntatis Nostrae significatione. Etenim fratribus in episcopatu Nostris, quo ii sunt cum Apostolica hac Sede coniunctiores, aequum prorsus est eo maiorem Nos benevolentiam referre. Ad te autem quod attinet, et decessoribus Nostris et Nobismet ipsis eam nullo non tempore probasti observantiam sane maximam, quam in Alma hac Urbe imbibisse videris cum in Urbaniano Conlegio adulescens studiis operam dares et in spem cresceres Orientalis Ecclesiae. Sed, ut ea bene multa mittamus quae hoc diuturno gubernationis tuae spatio expertus es ut rem catholicam apud tuos proveheres et damna ac detrimenta sarcires quae ipsi e postremo bello cepissent, aliud praeterea est quod periucunde Nos afficit, quibus felicitate quadam contigit, ante quam ad altiora munera vocaremur, haud dissimilia studia exercere: labores dicimus, quos, cum ingenii iudiciique acumine, et in vetustissimos syriacos codices et in commentaria de rebus historicis ac liturgicis a te in vulgus edita naviter insumpsisti. Est igitur quare, laetitiam participando tuam, proximum tibi eventum ex animo gratulemur, simulque ea tibi optemus in grege regundo divinae benignitatis munera, quae operae, in eiusdem gregis bonum a te posthac conferendae, cotidie maiorem addant vim atque efficientiam. Quorum quidem munerum conciliatrix, eademque paternae caritatis Nostrae testis, sit apostolica benedictio, quam tibi, venerabilis frater, et clero populoque tuo universo amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXX mensis septembris, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

IV

AD R. P. D. HENRICUM MOELLER, ARCHIEPISCOPUM CINCINNATENSEM, SEMINARIUM MAIUS INTER SOLEMNIA SAECULARIA NATALIS ARCHIDIOECESIS PROPEDIEM DEDICATURUM.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Seminarium maius, quod clericis istius archidioecesis ad sacras disciplinas instituendis exaedificari Nos iam tum docueras cum te mense iulio superioris anni perlibenter admisimus, litteris nuper ad Nos datis nuntiasti et absolutum esse et die tertio ac vicesimo huius mensis dedicatum iri sollemniter. Vix attinet dicere, quantum eiusmodi nuntio gavisi simus, cum causa agatur, quam nemo ignorat in earum numero esse, in quibus Pontificatus Noster versatur praecipue, versabiturque, quoad illum Deus benigne protulerit. De molibus igitur magnifice exstructis, quae ob amplitudinem suam, praeterquam tuis, clericis etiam finitimarum e provincia dioecesium, si quando opportunum videatur, facile pateant, vehementer gratulamur cum tibi, venerabilis frater, tum clero populoque tuo, qui infinita propemodum largitate inceptum fovit ac fovere non desinit: utrumque sane laudabile, et quod tu tantum opus tamque utile sis fidenti magnoque animo aggressus, et quod postulationibus tuis sacerdotes et fideles tam prompte liberaliterque concesserint. Sollemnia autem, quae ad Seminarium rite aperiendum paras, commemoratione bene cumulantur centesimi anni a dioecesi condita; quam quidem commemorationem, iustis de causis aliquantisper dilatam, biduo ante, idest die primo ac vicesimo huius mensis acturi iucunde estis. Ex ipsa enim duplicis eventi concursione habetis, unde grato animo providentissimi amantissimique Dei consilia admiremini, qui ex parvis initiis tam laeta excitaverit rei catholicae incrementa. Ut, ceteroqui, catholici isti occasione hac fausta ad animos suos saluberrime expiandos utantur, pro Nostra in eos caritate, potestatem facimus Delegato apud Foederatas Americae Civitates Nostro, si quidem ipsi licuerit, quemadmodum rogasti, eiusmodi praeesse sollemnibus, vel, eo absente, tibimet, venerabilis frater, adstantibus, utroque die, benedicendi Nostro nomine, proposita plena admissorum venia, usitatis condicionibus lucranda. Caelestium interea gratiarum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et clero populoque tuo universo apostolicam benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die I octobris anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

V

AD R. P. D. AUGUSTINUM FISCHER-COLBRIE, EPISCOPUM CASSOVIENSEM: COMMUNIBUS IN EUM LAETITIAE SIGNIFICATIONIBUS SE PERAMANTER CONSOCIAT.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Respicientibus Nobis sacerdotalis et episcopalis vitae tuae cursum illa obversatur animo impigritas atque alacritas, qua Ecclesiae Dei animarumque causam, qualiscumque tibi provincia obtigit, continenter egisti: qua quidem in causa sic te, ad hunc diem, detentum novimus, ut neglegens plerumque atque immemor visus sis vel eius quod interiici laboribus otium natura ipsa postulat. In comperto enim est, te sacerdotio vix initiatum, qua abundares pietate ac multiplici doctrina, eam ad clericos rite educandos plenaque sacrarum cognitione disciplinarum imbuendos transtulisse; quorum cum egregie inservires utilitatibus, primum Instituti a Sancto Augustino moderator et in Athenaeo Vindobonensi doctor es renuntiatus, ac deinde celeberrimum illud Pazmanyense Conlegium, Strigoniae, regundum cepisti, ubi tam laudabiliter theologicorum studiorum curriculum in flore aetatis confeceras. Nec gravissima eiusmodi munera obstitere quo minus te interea comitem eorum laboribus adiungeres, qui, ut res urbis Vindobonae restituerent, voluerunt civiles et sociales rationes ad catholicae fidei caritatisque praecepta, ut par erat, ordinari. Cum autem episcopatum inivisses, mirum quantum pastoralis actio tua patuit. Excolere enim gregem ad christianas virtutes aggressus, ipsemet contiones ad populum habere creberrimas eundemque paenitentem audire; per sacras exercitationes expeditionesque totam continuo lustrare dioecesim; catholicas sodalitates, praesertim iuvenum, constituere aut ante conditas confirmare et operosiores efficere; domos sane plurimas pueris, itemque adulescentibus cum opificibus tum litterarum studiosis, aere tuo emptas, aperire. Ut autem saluberrima Christi doctrina veluti in tuorum viscera permanaret eosque in cogitando agendoque dirigeret, non modo curavisti ut ephemerides et diaria bene multa in vulgus prodirent atque efferrentur, sed etiam scriptis ea tuis, infinito paene numero, ornasti. Ceterum non ignoramus, ponderosa te volumina, quae in philosophia et veritatis catholicae defensione versantur, et iam pridem edidisse et brevi editurum esse. Nemo igitur mirabitur si sexagesimum aetatis tuae exeuntem annum parant fideles tui effusa celebrare laetitia et si communis omnium Pater eam

cumulat gratulantis animi sui significationibus. Volumus autem pulcherrimo evento, venerabilis frater, sic fruaris, ut animum inde capias ad maiora in reliquum vitae tempus, quam tibi longissimam cupimus, gerenda et ad mercedem tibi ampliorem a Christo Iesu Pastorum Principe comparandam. Cuius interea auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem tibi, venerabilis frater, et universo clero populoque tuo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die II octobris anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

VI

AD EMUM P. D. BASILIUM EPISCOPUM VELITERNUM S. R. E. CARD. POMPILJ, VICARIA POTESTATE URBIS ANTISTITEM: APPETENTE FIDELIUM DEFUNCTORUM COMMEMORATIONE.

Venerabilis frater noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Prope adsunt dies – qui dies per annuam sacrorum sollemnium conversionem christiano populo non sine magno incitamento pietatis adesse solent – cum Sancta Mater Ecclesia fidelibus viatoribus fratres caelestis iam beatitatis compotes ad contemplandum imitandumque proponit, et subinde eorum omnium, per sacros ritus, memoriam iniicit, qui, etsi « nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis », a beatitate tamen illa, quoad purgatorio se igne piaverint, divino iudicio prohibentur. Quod cum Ecclesia agit, rem profecto agit quae cum capite illo catholicae fidei absolute congruit, in primis consolatorio, quod dicitur et est communio Sanctorum. Necessitudo enim, qua hinc cum beatis caelitibus, inde cum animabus culpas eluentibus arctissime coniungimur, plane hoc fert ac postulat, ut illis, aeternae adeptionem gloriae gratulati, supplicemus instanter ne suo nos carere sinant ad vitam more christiano degendam patrocinio, hos autem « suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris Sacrificio, iuvemus »: quod ipsum erit caelestibus pergratum, quippe qui, perfectissima ut sunt caritate, gaudeant augeri per nos eorum numerum, qui sempiternam cum ipsis felicitatem participent Deique bonitatem et clementiam extollant. Quodsi perdifficile est, animos a natura bene informatos humanitatem in defunctos exuere omnem, circumspicere tamen licet, ut horum memoria sensim apud plerosque obscuretur atque oblitteretur

vel iis recolatur honoris pietatisque significationibus, quae, quamquam sunt ipsae laudabiles, non tam cruciatis igne animabus prosunt, quam superstites consolantur. Iamvero, etiamsi a vigili caritate Nostra, ut sumus communis omnium Pater, alienos esse nullos oporteat qui de vita decesserint, sub eam tamen, quam diximus, defunctorum Commemorationem cogitatio Nostra ad multitudinem paene innumerabilem filiorum ultro provolat, qui aut in postremo bello caesi sunt, aut ex ipsis morbis vulneribusque inde acceptis mox, continuatione quadam, obiere, aut per civilia discidia eventaque Europaeam dimicationem consecuta misere occubuerunt. Immo etiam addimus, cogitationem in illos Nostram eo acrius ferri, quo plus – et merito quidem – extimescimus ne ii ipsi, ob neglegentiam suorum quos habuerunt carissimos, officiis pietatis precumque solacio destituantur. Quid quod forte in tanto interfectorum numero satis multi sint qui, inde a cunabulis, blanditiis lenique parentum risu caruerunt, et ignoti alienive omnibus, nullum habent qui ipsos comploret et Patris, qui in caelis est, benignitati commendet? Quemadmodum, igitur, ii qui in osculo Domini vitae iacturam fecere, iam a quavis concitatione et dissensione animorum vacui, gratia et caritate Christi Iesu una in perpetuum copulantur, ad gloriam tandem aliquando pervehendi quae Dei filios manet « ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis » sic velimus fidelium suffragiis adiuvari expiarique omnes, quotquot ob eas, quas memoravimus, causas interempti sunt, nullo gentium, condicionum partiumque discrimine. Quae ceteroqui universa precum communio effectura est ut et beata pacis visio dilectis iis filiis maturetur, et, defixa altius in hominum viatorum animis caritate, quod est « vinculum perfectionis », pax Christi in regno Christi affulgeat atque adesse properet. Itaque vehementer cupimus, venerabilis frater Noster, ut proximo die festo Omnium Sanctorum, itemque in sollemni omnium defunctorum Commemoratione ac per integrum mensem novembrem in Alma hac Urbe preces ad mentem eiusmodi Nostram, aucto animorum fervore, multiplicentur: exemplum autem civium Romanorum fore ut fideles universi, qua late patet catholicus orbis, pia certatione aemulentur, summopere confidimus. Qua interea spe freti, Nobis quidem suavissima, divinorum munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater noster, et clero populoque Urbis apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXI mensis octobris anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Decretis Sacrae Congregationis Consistorialis Ssmus D. N. Pius Pp. XI has, quae sequuntur, Ecclesias, de suo singulas Pastore providit, scilicet:

3 augusti 1923. — Cathedrali Ecclesiae Huajuapamensi praefecit R. D. Aloisium Altamirano Bulnes, canonicum magistralem cathedralis ecclesiae Angelorum.

26 octobris. — Cathedrali Ecclesiae Salmantinae, R. P. D. Angelum Regueras et Lopez, hactenus Episcopum Placentinum.

— Cathedrali Ecclesiae Pampilonensi, R. P. D. Matthaeum Mugica et Urrestarazu, hactenus Episcopum Oxomensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Marcianensi, R. D. Ludovicum Ricard, canonicum metropolitanae Ecclesiae Tolosanae, quem constituit Auxiliarem R. P. D. Henrici Chapon, Episcopi Niciensis.

27 octobris. — Cathedrali Ecclesiae Tudensi, R. P. D. Emmanuel Mariam Vidal et Boulon, hactenus Episcopum Birthensem.

29 octobris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Marcopolitanae, R. D. Iosephum Rantzau, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Antonii Springowicz, Archiepiscopi Rigensis.

II

DESIGNATIO

Cum Archiepiscopus Yucatanensis in Mexico, iuxta can. 1594 Codicis iuris canonici, designaverit pro appellationibus, quae occurrere possint a sua Curia, Revmum Ordinarium Mexicanum, Ssmus Dominus Noster, die 27 octobris 1923, praedictam designationem adprobare dignatus est.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

UTINEN.

COLLATIONIS MANSIONARIATUUM

Die 10 februarii 1923

SPECIES FACTI. – In Capitulo metropolitano Utinensi sex exstant mansionariatus, ad quos nominandi ius Capitulares hucusque pacifice exercuere. Cum vero Archiepiscopus, post vulgatum iuris canonici Codicem, Capitulum invitaret ad exhibendam, ex mente can. 403, *legem fundationis*, cuius vi dumtaxat praedictum ius in posterum quoque exercere idem Capitulum valeret, quaedam documenta exhibita sunt super quorum interpretatione hodierna vertit controversia. Dum videlicet Archiepiscopus retinet inde erui dumtaxat modum quemdam *erectionis*, seu potius immutationis praeexsistentium beneficiorum, adeo ut nominandi ius ex mera concessione seu privilegio repetendum foret, Capitulum e contrario arbitratur se demonstrasse veram et propriam dotationem ex *suis* bonis, a Summo Pontifice Innocentio IV mere ratam habitam, unde pleno iure derivare contendit titulum fundationis super quo nominandi ius adhuc consisteret. Re itaque delata ad Sacram Concilii Congregationem et causa plenius instructa, exquisitum fuit de more votum Consultoris quod ex integro referre praestat.

VOTUM CONSULTORIS. – Ad controversiam quod attinet inter Archiepiscopum Utinensem ortam et Capitulum cathedrale, duo sunt naviter perpendenda, ut eiusdem solutio liquido pateat. Scilicet, 1° quomodo sit intelligendus can. 403; – 2° utrum in casu, de quo agitur, exsistat necne lex fundationis, ex qua Capitulo ius eligendi sive nominandi seu praesentandi mansionarios competat.

I. *Quomodo sit intelligendus can. 403.* Imprimis certissimum est, vocem *conferre* intelligendam esse de *collatione libera*, tum quia in iure antiquo probe distinguebatur *institutio* sive *collatio necessaria* a *collatione libera* (cf. Decret. Greg. IX, lib. III, tit. 7, *de institutionibus;* Decret. Bonif. VIII, lib. III, tit. 6, *de institutionibus;* Conc. Trid., sess. VII, cap. 13, *de ref.*, sess. XXV, cap. 9, *de ref;* Schmalzgrueber, *Ius eccl. univ.*, lib. III, tit. 7, n. 1 ss.; Leurenius, *Forum beneficiale*, part. 2, q. 169; Riganti, *Comment.*

in reg. Cancell. Apost., Reg. 35, 36 n. 4 ss.; Reiffenstuel, *Ius can. univ.*, lib. III, tit. 7, n. 2 ss.; Wernz, *Ius Decretalium*, II, nn. 326, 442, etc.), ideoque ad normam cc. 6, 2°, 3°, 4° et 18, recedendum non est ab huiusmodi vocabuli acceptione, nisi legislator *expresse* alio sensu vocem usurpet; tum quia reapse Codex quoties *collationem necessariam* significare intendit, *numquam* utitur verbo dumtaxat *conferre*, sine addito, sed utitur *semper* verbis *institutione necessaria*, v. g. in canonibus 148, 149, 332, 1447, 1466.

Finis can. 403 est, ut Ecclesia plenam et omnimodam libertatem acquirat, quoad fieri possit, in beneficiis Capitulorum cathedralium et collegialium conferendis. Quae profecto libertas ad rectum dioecesis regimen et supremum animarum bonum maxime confert. Mens legislatoris hac de re manifesto liquet ex aliis quoque canonibus, v. g. ex cc. 455, 1450, 1451.

Can. 403 reprobat contrariam quamcumque consuetudinem et revocat quodcumque contrarium privilegium sive indultum etiam Apostolicum, *legem* tantum *fundationis* integram servans. Itaque, sublato quovis alio titulo sive consuetudinis sive privilegii, hodie ex cit. can. 403 viget dumtaxat ius nominandi sive praesentandi seu ius patronatus quod *a lege fundationis* ortum ducit, i. e. ius quod in huiusmodi lege tanquam fundamento nititur atque ex ea subsistit. Cf. S. C. C. in Barulen., *Collationis canonicatuum*, 12 nov. 1921 et 10 iun. 1922; Utinen., *Collationis paroeciae*, 19 febr. 1921 (*Acta Apost. Sedis*, XIV, p. 459 ss., 551 ss.)

Ratio autem, cur legislator expresse conservatum voluerit ius nominandi seu praesentandi, in *lege fundationis* contentum, haec est: 1° agitur in casu de iure *quaesito*, quod summa reverentia, quantum fieri potest, integre servatur: hinc regula 18ª, Cancell. Apost., *de non tollendo ius quaesitum*, et praescriptum can. 4 (cf. Riganti, op. cit., Reg. 18, n. 1 ss.; Schmalzgr., lib. III, tit. 14, n. 3 ss., tit. 38, n. 247 s.; De Lugo, *De iustitia et iure*, disp. 1, n. 2 ss., disp. 23, n. 14; Cappello, *I diritti e i privilegi tollerati o concessi dalla Santa Sede*, etc., p. 65); 2° agitur, saltem plerumque, de *voluntate* fundatoris, quae ita sancte et religiose, quoad fieri possit, servanda est, ut eiusdem reductio, moderatio, commutatio Sedi Apostolicae reservetur (cf. cc. 1517, 1551; c. 14, c. XVI, q. I; Conc. Trid., sess. XXII, cap. 6, *de ref.*; S. C. C. in Venusina, 15 nov. 1704; Asten., 19 nov. 1718).

Porro quid est *lex fundationis*, de qua loquitur can. 403? Sedulo animadvertendum est, idem non esse *fundare* beneficium et *erigere* seu *constituere*, licet non raro hae voces, ob necessarium intimumque nexum, promiscue usurpentur. *Fundatio* beneficii est donatio seu concessio bonorum facta a pia quadam persona physica vel morali, ut ex iis tamquam ex dote beneficium constituatur, seu est ipsa *dotatio* beneficii. *Erectio*,

contra, est actus competentis auctoritatis ecclesiasticae, quo beneficium ex dote praefinita *canonice*, i. e. qua *ens iuridicum*, constituitur, seu est canonica beneficii constitutio facta a legitimo Superiore ecclesiastico. Cf. Lotterius, *De re beneficiaria*, lib. I, q. 30, n. 4 ss.; Leurenius, l. c., q. 35, n. 3; Reiffenst., lib. III, tit. 5, § 4, n. 23 ss.; Pitonius, *De controversiis patronorum*, alleg. 54, n. 30, alleg. 60, n. 4; Fagnanus, *Comment. in Decret. Gregorii IX*, in cap. *Cum in cunctis* (7, de elect.), n. 70 ss.

Quae canonica constitutio seu erectio ad essentiam beneficii proprie dicti omnino requiritur, ita quidem ut sine ea verum beneficium ecclesiasticum ne concipi quidem possit, cum nequaquam sufficiat ad personae moralis sive entis iuridici constitutionem, prout est beneficium, privata fundatoris voluntas aut dotis constitutio, sed prorsus necessarius sit competentis auctoritatis ecclesiasticae interventus. Cf. c. 3, 6, X, *de ecclesiis aedificandis*, etc., III, 48; Conc. Trid., sess. XXI, cap. 4, *de ref.;* sess. XXIV, cap. 13, *de ref.:* can. 99, 100, 1409, 1414.

Unde *fundatio*, proprio sensu accepta, *sine bonorum donatione seu dotis constitutione haberi nequit, imo nec supponi potest;* ideoque nullatenus confundenda est cum canonica beneficii erectione, uti aperto liquet ex constanti iurisprudentia huius S. Congregationis, ex. gr. in caus. Vigilien., 7 april. et 23 iun. 1753, et in caus. Montis Falisci, 27 nov. 1784. Cf. Pallottini, *Collectio*, tom. III, v. *Beneficia*, § XII, n. 100 ss. Idque communi DD. sententia confirmatur.

Duplici vero sensu – quod tamen ad controversiam hanc dirimendam parum refert – tum in textibus iuris canonici (cfr. c. 30, C. XVI, q. 2; c. 23, X, *de iure patronatus*, III, 38; c. 16, X, *de censibus, exactionibus*, etc., III, 39; cc. 1417, § 1, 1490, 1494, etc.), tum passim ab AA. (cfr. Reiffenst., l. c., § 5, n. 6; Leurenius, l. c., q. 32, n. 7; Lotterius, l. c., q. 15, n. 3 ss). *lex fundationis* accipi solet. Interdum ea omnia universim designat, quae in limine constitutionis beneficii praefinita fuerunt, i. e. ea omnia quae in tabulis fundationis continentur; interdum designat complexum *conditionum*, quas fundator in actu fundationis apposuit. Fundatori enim integrum est, de consensu Episcopi seu legitimi Superioris ecclesiastici, conditiones apponere etiam iuri contrarias, dummodo nec turpes sint, nec alias a iure improbatae, nec substantiae beneficii repugnantes. Cf. c. 30, C. XVI, q. 2; c. 23, X, *de iure patronatus*, III, 38; S. C. C. in Sarsinaten. 27 nov. 1649; Taurinen., 14 mart. 1722; Firmana, 9 et 30 aug. 1732; Gerundin., 14 dec. 1771, 11 ian. 1772.

Quae disciplina expresse confirmatur in Codice (can. 1417, § 1). Huiusmodi vero conditiones, ubi appositae fuerint, pro *lege* esse habendas, nec eisdem derogandum, apertis verbis decreverunt Patres Tridentini

(Sess. XXV, cap. 5, *de ref.*) et pluries declaravit haec S. Congregatio, v. g. in Tudertina, 12 febr., 12 mart. 1728; in Salutiarum, 3 sept. 1740; in Montis Falisci, 21 aug., 27 nov. 1784, etc. Quod Codex diserte confirmat (can. 1417, § 2). Voluntas enim fundatoris, ut supra dictum fuit, integre servanda est, quoad fieri possit, i. e. nisi necessitas aliud exigat.

Ex hucusque dictis sequitur: 1° ius nominandi seu praesentandi ad beneficia et canonicatus in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, hodie perspecto can. 403, vigere tantummodo *ex lege fundationis*, i. e. *si* et *quatenus* lex fundationis huiusmodi ius concedat; – 2° fundationem autem non haberi, nisi bonorum donatio seu dotis constitutio facta fuerit; 3° consequenter, praefatum ius eatenus alicui competere, quatenus ipse beneficium vere dotaverit.

II. *Utrum in casu, de quo agitur, exsistat necne lex fundationis, ex qua Capitulo ius eligendi sive nominandi seu praesentandi mansionarios competat.*

Negative omnino respondendum est. Sane:

1° In Bulla Innocentii IV, 20 dec. 1245, qua mansionariatus eriguntur, de quibus praecise haec controversia exsistit inter Capitulum cathedrale et Archiepiscopum Utinensem, legitur: « Cum igitur, sicut ex parte vestra « fuit propositum coram Nobis, ad augmentandum cultum divini Nominis « deliberatione provida duxeritis statuendum ut in ecclesia vestra duo- « decim *mansionarii*, videlicet quatuor presbyteri, et tot diaconi ac totidem « subdiaconi ad serviendum continue in ordinibus suis in ipsa, *sex eis* « *praebendis* de iis quae sunt in statuto ac per Sedem Apostolicam con- « firmato numero *assignatis*... ».

Itaque certo constat, mansionariatus fuisse constitutos *ex praebendis canonicalibus*. Unde Capitulum nequaquam *fundator* exsistit, cum nihil reapse *de suis bonis* tradiderit, puta ex massa capitulari, seu dotem nullatenus constituerit. Igitur deficiente dotatione, ius nominandi seu praesentandi, quod ex fundatione obvenit, non exsistit, ut palam est. Sane ad huiusmodi ius acquirendum, satis non est, ut Capitulum consentiat in unionem sive transformationem beneficiorum, sed omnino requiritur, ut *de suis bonis*, seu de massa capitulari aut alias, *dotem constituat;* secus inquam, fundatio prorsus abest. Ita omnes DD., secundum notum adagium Glossae: « Patronum faciunt *dos*, aedificatio, fundus ». Cf. De Luca, *De iurepatronatus*, disc. 2, n. 17, disc. 65, n. 15; Schmalzgr., l. c., n. 52 ss; Viviani, *Praxis iuris patronatus acquirendi*, etc., lib. II, cap. 5, n. 2 ss.; Lotterius, l. c. n. 8; Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v. *Beneficium*, art. 2, n. 9; Lambertini, *Tract. de iure patronatus*, lib. I, part. I, q. 2, art. 3; Reiffenst., lib. III, tit. 38, n. 3 ss. Quod valet non modo de iure patronatus,

verum etiam de iure nominandi seu praesentandi, quod, praecisione facta a iure patronatus, item ex titulo fundationis, in aliquo casu particulari oritur. Puta, si fundator expresse renunciet iuri patronatus, sibi tamen reservet in perpetuum vel ad tempus ius nominandi seu praesentandi clericum ad beneficium vacans: quod certe iure antiquo, aliter ac iure novo, fieri poterat, de consensu legitimi Superioris ecclesiastici. In utroque casu valet profecto eadem regula, quia unus atque idem est titulus sive fundamentum praefati iuris, scil. fundatio.

Unde si ab initio Capitulum obtinuit ius eligendi sive nominandi seu praesentandi mansionarios, hoc non ex titulo fundationis acquisivit, sed *ex mero privilegio*, quod legislator expresse revocavit (can. 403).

2° Ex Bulla Patriarchae Aquileiensis Card. Scarampi-Mazzarotta, 12 april. 1460, quam Capitulum in sui favorem allegat, nihil profecto eruitur, quod traditae conclusioni adversetur, imo potius contrarium. Siquidem: *a*) Ne ullum verbum quidem est in hac Bulla de iure Capituli nominandi seu praesentandi; sermo est de *institutione* mansionariorum, quae, cum aliis iuribus, dicitur ad Capitulum pertinere. Porro *institutio*, proprie sumpta, necessario exigit *praesentationem*, et quidem *ab alio* factam; unde si tunc temporis, dato et non concesso, Capitulo erat ius canonice *instituendi* mansionarios, *ad alios* profecto spectabat ius eosdem nominandi seu praesentandi. Dato inquam et non concesso, quia, perspecto tenore totius Bullae, apparet vocem *institutionis* non esse proprio, i. e. stricto sensu accipiendam. – *b*) Agitur in casu de *concessione* facta ab ipso Patriarcha, uti patet ex verbis Bullae: « Mansionariorum au- « tem dictae Ecclesiae Aquileien. ad ipsum Capitulum *institutionem* perti- « nere *volumus*... ». Porro hanc potestatem – sive intelligatur de canonica institutione proprie dicta, sive de iure nominandi seu praesentandi – hodie, iure quo regimur, non amplius exsistere, ex dictis indubitatum est, cum ex titulo *meae concessionis* sive *privilegii*, non autem ex lege fundationis, originem duxerit.

3° Bulla Benedicti XIV, 19 ian. 1753, a Capitulo item in sui favorem allegata, manifeste excludit titulum fundationis luculenterque ostendit agi *de privilegio apostolico*. Hic Pontifex suppressit Ecclesiam patriarchalem Aquileiensem, et Ecclesiam collegiatam S. M. Maioris in archiepiscopalem Ecclesiam Utinensem erexit, huius Capitulo concedens « ius eligendi « libere mansionarios et cappellanos, quo prius potiebantur Capitulum et « canonici praefatae patriarchalis Ecclesiae, per Nos, ut praefertur, sup- « pressae et extinctae.... ». Nullum dubium, ut liquet ex his verbis, quin agatur de mero privilegio seu indulto apostolico. Atqui a Codice hoc revocatum fuit (can. 403).

Itaque, omnibus mature perpensis, concludendum, ad Capitulum cathedrale Utinense hodie non spectare ius eligendi sive nominandi seu praesentandi mansionarios, sed Archiepiscopo, audito Capitulo, competere liberam collationem mansionariatuum, ad normam canon. 403.

Quare, etc.

RESOLUTIO. – Porro, in plenariis Sacrae Congregationis Concilii comitiis, in Palatio Apostolico Vaticano habitis die 10 februarii 1923, proposito dubio: ***An Capitulo cathedrali Utinensi post Codicem iuris canonici adhuc competat ius eligendi seu nominandi mansionarios in casu***, Emi ac Rmi Patres respondendum censuerunt: ***Negative.***

Facta postmodum de praemissis Ssmo Domino Nostro Pio PP. XI relatione per infrascriptum S. C. Subsecretarium, Ssmus datam resolutionem approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Subsecretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

I

DECLARATIO

CIRCA DISPENSATIONES SUPER CURRICULO STUDIORUM

Sacra Congregatio de Religiosis, in concedendis dispensationibus super curriculo studiorum, ad praescriptum can. 976 § 2 ad sacros Ordines suscipiendos praemittendo, de mandato Ssmi Domini Nostri Pii div. Provid. PP. XI sequentes conditiones rescriptis apponere consuevit: « Sacrae Theologiae operam sedulo dare pergant, saltem usque dum « praescriptum quadriennium rite compleatur, vetito interim quocumque « animarum ministerio, idest ne destinentur concionibus habendis aut « audiendis confessionibus aut exterioribus Religionis muniis; super quibus « Superiorum conscientia graviter onerata remaneat; servatis ceteris... ».

Cum vero tales facultates seu dispensationes ab aliquo Ordine aut Congregatione religiosa, sive generales pro omnibus suis alumnis sive particulares pro aliquibus, in praeteritum impetratae iam fuerint, Sanctitas Sua, in audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa die 23 octobris 1923, declaravit et statuit: omnes et singulas facultates seu dispensationes hac super re post Codicis promulgationem quomodocumque obtentas, etiam immediate a Summo Pontifice vel vivae vocis oraculo vel

per Rescriptum Eiusdem manu signatum, conditionibus supra enunciatis subesse, easque subintelligendas esse, nisi expresse eis derogatum fuerit. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 27 octobris 1923.

C. Card. Laurenti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B. *Secretarius.*

II

UNTERWEISUNG

ODER VERZEICHNISS DER FRAGEN, DIE VON DEN GENERALOBEREN UND GENERALOBERINNEN DER KLOESTERLICHEN GENOSSENSCHAFTEN MIT EINFACHEN GELUEBDEN ALLE FUENF JAHRE IN IHREM BERICHTE AN DEN HEILIGEN STUHL ZU BEANTWORTEN SIND.

(*Diese Unterweisung wurde zum ersten Male von der Heiligen Congregation für Bischöfe und Ordensleute herausgegeben und dann von der Heiligen Congregation für Klosterleute nach Massgabe des neuen kirchlichen Gesetzbuches durchgesehen und verbessert*). [1]

Einleitende Fragen.

1. Welche Bestätigungen oder Empfehlungen des Heiligen Stuhles hat die Genossenschaft erhalten, und wann?

2. Welches ist der besondere Zweck oder die Aufgabe der Genossenschaft?

3. Hat die Genossenschaft ihren ursprünglichen Namen oder ihren Zweck oder die klösterliche Kleidung nachher irgendwie geändert, und mit welcher Bevollmächtigung?

4. Wie viele Klassen von Mitgliedern hat die Genossenschaft? Welche Gelübde werden in ihr abgelegt?

5. * Wie viele Mitglieder sind seit der Gründung bis jetzt, oder wenigstens in den letzten zwanzig Jahren, eingekleidet worden?

6. * Wie viele Mitglieder sind seit der Gründung der Genossenschaft bis jetzt, oder wenigstens in den letzten zwanzig Jahren, ausgetreten, und in wel-

[1] Cf. *Acta Apostolicae Sedis*, XIV (1922), pp. 278 ss.

* Auf die mit Sternchen kenntlich gemachten Fragen oder Frageteile braucht nur im ersten Berichte nach Veröffentlichung dieser Unterweisung geantwortet zu werden.

cher Weise: im Noviziat, oder nach Ablegung der zeitlichen oder nach Ablegung der ewigen Gelübde? Hat es auch Flüchtige und Abtrünnige gegeben, und wie viele?

7. Wann wurde der letzte Bericht an den Heiligen Stuhl gesandt?

I. – Von den personen.

A) Von der Aufnahme.

8. Wie viele Postulanten sind seit dem letzten Berichte aufgenommen worden?

9. Sind für jeden Einzelnen die vom Rechte vorgeschriebenen Zeugnisse eingeholt worden, besonders aber die litterae testimoniales

a) für Männer im allgemeinen,

b) für Kleriker,

c) für jene (Männer sowohl wie Frauen), die in einem Seminar, Colleg, Postulat oder Noviziat einer andern Genossenschaft waren, und waren diese Zeugnisse eidlich bekräftigt?

10. Hat man auf irgend eine besondere Weise oder durch besondere Mittel jemand zum Eintritt angelockt? Haben die Oberen sich namentlich der Zeitungen zu diesem Zwecke bedient?

11. Hat man sich überdies, wo es notwendig oder ratsam war, über die Charakteranlagen und die Führung der Aufzunehmenden genügende Kenntnis zu verschaffen gesucht?

12. Wie oft und von welchen Hindernissen und Mängeln sind Dispensen nötig gewesen, und von welchem kirchlichen Obern wurden diese erteilt?

13. Haben alle, für welche das Postulat vorgeschrieben ist, die dafür festgesetzte Zeit eingehalten, und zwar in einem Hause, wo klösterliche Zucht herrscht?

B) Von den Novizen.

14. Wie viele und welche Noviziatshäuser sind vorhanden, und ist jedes mit Genehmigung des Heiligen Stuhles errichtet?

15. Wie viele Novizen haben seit dem letzten Berichte das Kleid der Genossenschaft erhalten?

16. Wie hoch ist gegenwärtig die Zahl der Novizen?

17. Sind die Novizen von den Professen nach Vorschrift abgesondert?

18. Haben alle einen vollständigen Abdruck der Satzungen?

19. Sind alle vor Zulassung zu den Gelübden ein vollständiges und ununterbrochenes Jahr unter der Leitung des Novizenmeisters im Noviziatshause gewesen?

20. Ist der Novizenmeister von anderen Aemtern und Lasten, die ihn in der Ueberwachung und Leitung der Novizen hindern könnten, frei?

21. Wurde die Zeit des Noviziates, die nach den Satzungen einzuhalten ist, verlängert oder verkürzt? Um wieviel, und mit wessen Vollmacht?

22. Haben die Novizen im ersten Noviziatsjahre ausschliesslich den Uebungen der Frömmigkeit obgelegen, oder etwa auch anderen Beschäftigungen, und welchen?

23. Wurden die Novizen im zweiten Noviziatsjahre, wo ein solches besteht, in andere Häuser geschickt, und wurde dabei die Unterweisung der Heiligen Congregation für Klosterleute vom 3. November 1921 beobachtet?

